

Zb

2007



an 2

GELLIUM EXTINCTUM,

Hoc est,

VIRUM

AMPLISSIMUM & EXCELLENTISSIMUM

DN.

CHRISTIANUM FRIDE-
RICUM *Frankenstein*

HIST. ET LL. PROF. PUBL. COLLEG. MAJ.
PRINCIP. COLLEGIATUM, ALUMNOR. ELECTOR.
EPHORUM, FACULT. PHILOSOPH. SENIOREM, ET
ACADEMIÆ DECEMVIRUM, LONGE
CELEBERRIMUM,

&

DE SINGULIS OFFICIIS PERQVAM MERI-
TISSIMUM,

*Calendis Novembris Æra Christ. Anno M. DC. LXXIX.
beatè defunctum,*

Ipsò exeqviarum die, qui est
IV. Id. dicti mensis,
luget

COLLEGIUM GELLIANUM.



LIPSIAE,

LITERIS CHRISTIANI SCHOLVINI.


ERgo Tuas iterum lacrymis perfundere tristis,
Nomina cui fecit Gellius, Ordo, genas.
Justior haut alio decuit te tempore lessus,
Plus lugendiurgens causa nec ulla fuit.
Coetus ipsa Tui succumbit gloria fati,
Morte, ostentasti quod, perimente caput.
Imo &, (quid nam etenim prohibet me vera fateri?)
Deflendus, Gelli, Gellius ipse Tibi est,
Qui variam noctes non conscribebat Athenis
Doctrinam, sed nox Attica totus erat.
Nam quas Pindus amat, quas Pindi Praeses Apollo,
Hic, qui quarebat, repperiebat, opes.
Huc varias retulit, Thymbrae gentis ab hoste
Barbarie, dotes Graecia victa suas.
Ausoniae fuit hic gentis decus, osque Latinum,
Divitias, prisca, hic en Tibi, Roma, tuas!
Hac nocte heroum facta effulsere potentum,
Seu nos, seu mundus viderit illa vetus.
Dixeris immensi thesauros partibus orbis
Omnibus afferre huc complacuisse suos.
Oppida Tartariae novit, patriaeque Magorum,
Quidque Indus digni commemorare vehat.
Et quae per fluvium ratione Canopicus almae
Accipiat fructum fertilitatis ager.
Nedicam Europae dona, inventumque Columbi,
Nondum & quae nobis cognitus Auster habet.
Atque ut bis denos varia complerier Auli
Doctrinam, Sophicam cernis & arte, libros.

Sic

Sic se jactabat Sapientum Gellius armis,
Qvi Te jam, Gelli, tristia flere jubet.
Heu quoties solidò docuit fermone, probanda
Qvæ sint facta probo, vel fugienda, viro;
Seu vellet Sophien tractare, ut Taurus, acutam,
Francorum ut cultâ sive Arelate fatus.
Si pietas, Divos homines invadere, ferret
Credere, muneribus nosqve replere suis;
Non aliò noster mihi Numine Gellius esset
Correptus, pectus qvam fuit, Aule, tuum.
Aut si, qvòd Samius voluit, post fata prioris
Mox aliud corpus Spiritus unus init; (rantis
FRANCKSTENIUM vixisse animâ, jurabo, pa-
Nomina per noctes splendidiora die.
Scilicet antiqvi fulgentia lumina mundi
Qvi referant, rarò haut secula nostra vident.
Tullius eloqvio svavi mortalibus audit,
Lac qvem signavit nomine dulce, Pater.
Livius haut unis, numero se Thuane, putaris,
Et Tacito similis mox celebrandus erit.
Est, qvi Cæcilius dicendi creditur arte,
Gallia Teutonicò sangvine sparsa, tuus.
Sic nostris auras vitales traxit Athenis,
In qvo spectandus Gellius alter erat.
Atqve utinam verò visus felicior esset!
O utinam caderet non, velut ille, meus!
Illius ò utinam veluti nox docta perennat,
Plurima sic hæc nox Attica secla foret!

Sed

FR
26
207
Sed dispulsa fugit terram, multasque recondit,
Qvas ostentabat, res, oculisque negat.
Lumine perfundit fugiens nox aëra grato;
At nos obscuris obruit illa malis.
Exhilarat terram noctis discessus & umbræ;
Nos cruciat miseris nox fugitiva modis.
Atque ut stellarum callenti exponere cursus
Gratior, ac Phœbus, pallida Luna venit;
Sic Tua me, moriens ô Gelli, funera mordent:
Ordinis interiit quippe Magistra mei.
Sed quid flebilibus verbis deflere cadentem,
Luctibus & luctus accumulare juvat?
Sufficit, extinctus quod Gellius omnia turbet,
Non, mala dum narro, redditur ulla quies.
Sufficit, inducat quod nox pulsa Attica nubes;
Non reparat, tenebras commemorare, diem.
Ipse etiam nostris discedens Gellius oris:
Quid tantis vobis fletibus, inquit, opus?
Nox eram, at illustri jam gaudeo lumine coeli,
Nox annon quod lux fiat amoena, dolet?
Quis fuerim, vos scripta libris mihi dicta docebunt,
Et pia per mundi climata fama feret.
Rarius ergo, mei, lacrymas effundite falsas,
Mitior & luctus pectora vestra premat!
Destructis placidam membris optate quietem!
Utque parem capiat, qui dolet, Ordo virum!



107

10

2
I
3
4
A
H
2
I
I
t
2
A
H
77
e

ULB Halle 3
003 740 617






an 2

GELLIUM EXTINCTUM,

Hoc est,

VIRUM

AMPLISSIMUM & EXCELLE

DN.

CHRISTIANUM RICUM

HIST. ET LL. PROF. PUBL.

PRINCIP. COLLEGIATUM, ALU
EPHORUM, FACULT. PHILOSOPH
ACADEMIÆ DECEMVIRUM
CELEBERRIMUM,

&

DE SINGULIS OFFICIIS PEI
TISSIMUM,

*Calendis Novembris Æra Christ. Anno
beatè defunctum,*

*Ipsò exeqviarum die,
IV. Id. dicti mensis,
luget*

COLLEGIUM GELI



LIPSIÆ,
LITERIS CHRISTIANI SC

